Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 803
Quelle:
Copyright:

memorata: *Dei gratia perſeueret ſemper in omnibus vobis amen.*

III. *fol.* 98. *De regulari forma viuendi ad fratres Monaſterij ſancti Michaelis montis Pyſani, Anno incarnationis domini ducenteſimo nonageſimo ſeptimo Anno vero etatis ſancti Auguſtini XXXII°. Regula prima Sancti Auguſtini Epiſcopi.* Putidi Impoſtoris Commentum, qui *Auguſtinum* natum a. 354. jam a. 297. annorum 32. facit, et neſcio quibus Fratribus Regulam ſcribere jubet. *Conſenſoriam Monachorum* adpellat *Holſtenius*, *Regulae Clericis traditae Fragmentum* eſt *Maurianis*, qui illud merito in *Adpend.* T. I. *col.* 39. rejecere, teſtati nullum ſe ejus *mſ.* Exemplar reperiſſe. Igitur en unum aliquod, cujus initium: *Communi diffinicione decreuimus apud nos* &c. et finis: *qui in omnibus ſtabiles eſſe noſcuntur.* Sed nondum Regularum ſatis. *De Regulari modo viuendi et cultus diuini obſeruandi ad fratres in Monaſterio centumcellis Anno domini ducenteſimo nonageſimo octauo. Regula Secunda.* Belle procedunt Inſtituta *Auguſtini* nondum nati, et quidem extra *Africam.* Initium: *Ante omnia fratres kariſſimi diligatur deus* &c. Notant *Mauriani* T. *eod. col.* 789. ubi *Regulam ad Servos Dei* pro *Auguſtini* genuina habent, et *Adpend. col.* 41. ubi hanc noſtram rejiciunt, Initium iſtud utrique praefixum reperiri. Deinceps: *De regulari forma viuendi ad fratres in heremo yppònenſi. Regula Tercia.* Initium: *Fratres mei et leticia cordis mei* &c. Eſt is *Sermo* I. inter ſpurios *ad Heremitas* rite a *Maurianis* amandatos in *Adpend.* T. VI. *col.* 305. Denique: *De Regulari vita et forma viuendi ad Moniales ypponenſes Anno domini CCC. III°. Anno etatis ſue XXXVIII°.* videlicet annis 51. antequam naſceretur, ſi noſtrum Fabricatorem Inſcriptionum audias, re vera autem ad an. CCCCXXIII. pertinens et genuina *Auguſtini* Epiſtola, quae incipit: *Sicut parata eſt ſeveritas* &c. Verum, quod rurſus ineptum eſt, ubi *Auguſtinus* ab increpatione diſſenſionum ad praeſcribendas Regulas tranſit, ibi Librarius calamum abſtinuit, et quidem in iis verbis: *ſed potius lacrimas petri paſtoris.*

IV. *fol.* 100. ingruunt ſpurii illi *Sermones ad Eremitas* numero XXX. ſed illis alia admixta ſunt, quae nolo praeterire, ut ſaltem ex iis liqueat, quam parum ſaepe Rubricis fidendum ſit. *Fol.* 119. *Sermo beati auguſtini epiſcopi de contricione cordis* XVII. Nil aliud, quam II. priora Capita Opuſculi ita inſcripti in *Adpend.* T. VI. Opp. *col.* 131. hoc initio: *Nihil morte certius* &c. *Fol.* 129. *Sermo beati auguſtini epiſcopi de fratre vitali pauperculo ad f. heremitas* XXVI. Init: *In ſcripturis diuinis legimus kariſſimi quod beatus ſit qui poſt aurum non abijt* &c. Defloravit pius Fabulator *Sermonem Auguſtini* CLXXVIII. T. V. *col.* 851. et e Paupere *Mediolanenſi* Fratrem *Vitalem* effinxit. *Fol.* 133. *Sermo 29. b. Auguſtini Aurelij epiſcopi quem primo*